

certas ad publicam placidamq; συζητησιν producat; ne

quâ p
fitiùs
modè
leges
ai
tius ip
feren
titude
lat. Si
logici
tus sa
ad usi
institu
Quan
ejusdè
pugna
Theo
pecul
istâ. C
præsu
trò &
vestra
locup
E. ad



426497

Singulare
GYMNASII SCHÖNAICHIANI
CHARISMA:
H. E.
PROFESSIO
PIETATIS
PROFUNDATORIS
ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ
INTENTIONE

Dilucidè à Professionibus cæteris Theo-
logicis distincta,

Brevique futuræ Institutionis typo adumbrata,
juventutiq; commendata,

INDICII INITIÏQUE PUBLICI

gratiâ,


à

GEORGIO VECHNERO S. S. T.

D. & in Illustri Schonaichiano Pietatis
Professore.

BETHANIÆ,

TPIS JOANNIS DÖRFFERI.



Ad

Illustrem Generosissimumque
DOMINUM,

DOMINUM JOANNEM
ALBERTUM, COMITEM
SOLMENSEM,


Dominum in Minzenberg, VVildenfels
Sonnevvald &c.

MAGNUM AULÆ ARCHIPALATINÆ
MAGISTRUM,

SERENISS.^{mo} POTEN-
TISS.^{oq;} REGI BOHEMIÆ
à Consiliis intimis &c.

DOMINUM SUUM AC PA-
TRONUM GRATIOSISSIMUM




Illustris Generosissimeq; Comes ac Domine, Domine ac Patrone Gratosissime :

*Cum esse annis superioribus ab institutione; Filio Pro-
filiisq; Tuis Generosissimis : perquam erat volupe I. G.
T. scitari subinde ex me de ILLUSTRIGYMNASIO SCHONAICHIANO.*

*Fam tum enim laudabilis instituti ejus fama
ad Electorale Palatium percrebuerat: & auribus quo-
que Tuis insinuaverat sese non infelici commenda-
tione.*

*At erat quoq;, cum de singulari Professionum
nonnullarum adornatione, aliquid esset obiter inaudi-
tum : ut commirareris, deq; istis singulatim scitari
pergeres.*

*Quin etiam post, ubi ad functionem Professori-
am, in Gymnasio eo subeundam, ex Archipalatinâ
Academia & familiâ Tuâ accersitum, gratosè me di-
mitte-*

*mitteres; vel extremum hoc volebas per me fieri: ut de
Gymnasio ejus sacris illis peculiaribus dilucidius ali-
quando constaret.*

*Misi pridem eâ gratiâ ipsum Schonaichiana
fundationis Apographum: è quo, quæ inquisitione di-
gna essent, unâ quasi tabellâ, explicatè satis atq; desi-
gnatè paterent.*

*Id quàm fuerit J. G. T. gratum : humanitatis
gratiarûq; plena responsio, satis testata est mihi lucu-
lenter.*

*De quâ verò cum primis ab J. G. T. questum me-
mini, PIETATIS PROFESSIONE : ad eam
tandem ipse, post quâ annis aliquot operam meâ Illustri
Gymnasio & in Philosophicis & in Theologicis proba-
vi, accedere sum jussus. Ac visum est, Professionem
eam ita potissimum exordiri : ut præliminari disser-
tatione aliquâ, & de Professionis ejus genuinâ ab
alijs discretionem, & de aliquo ejus adornandæ
modo, de ipso deniq; ejusdem usu, non obscure
constaret.*

*Eam ipsam igitur auspicalem, declarationem
cum producere in publicum jubeat : debeo profectò,
cum ob rationes modò indigitatas, tum ob causam
multò maximam, aliò non ablegare potius ac prius,
quàm ad gratiosissima J. G. T. subsellia. Nec enim
Gymna-*

Gymnasium illud Schonaichianum univ^{er}sum,
sperare novit **TVTORE MPATRONUM** q^o cer-
tior^e; quàm eum ipsum, cujus piam de se sollicitudi-
nem jam pridem intellexit: Nec devincire eundem
sanctiore vinculo aliquo sibi potest: quàm si amabili
PIETATI nomine sese quasi susceptori suo, ad
publicam Nominis adeptionem sistat.

Quà quidem ratione Gymnasium Illud summa sibi
quaq^{ue} à **TE** pollicetur, **ILLUSTRIS GENE-
ROSISIME** q^o **COMES**: quem novit eo esse **A-
nimo**; ut **PIETATI** Inescias **PIENTISSIMUS**
Ipse quicquam denegare: quem novit eo esse **LOCO**;
ut Clienti huic Tuo dignā Nominis auctoritatem queas
ab **IPSA MAIEST. REGIA** perfacile impetrare.

Ita **J. G. T.** & communi Gymnasii illius nomine,
& meo singulatim, quicquid obsequiorum à Cliente
memore ac grato proficisci potest, prorsus sancteq^{ue} de-
voveo. Hoc quoq^{ue} cum primis pari nomine devoveo: ut
SERENISS.° POTENTISS.° q^o **REGI FRI-
DERICO**, cui **SILESIA** inviolabili subjectionis
fide sese modò addicit, **ADSIT** cœlesti Potentiâ
suâ Pacator Orbis Maximus **C. J.** faciatq^{ue} eundem

**ORBIS GERMANICI PACATO-
REM FELICEM ac PROSPERUM:**

Quò crescat latissimè **Seria PIETAS**, & per
PIE-

PIETATEM obtineat tandem **Vera PAX ac
TRANQUILLITAS.**

Sic Te **CHRISTVS** quoq^{ue} servet cum Tuis diu-
tissimè, Comes Generosissime **EXEMPLVM HV-
MANITATIS** atq^{ue} **PIETATIS** incomparabi-
le, Dab. Bethan. Silesior. Mense Feb. An. 1620.

J. G. T.

Subjectis. & addictis.

Georgius Vechnerus S. S. T.
Doct. Illustris Schonaichiani p. t.
Rector.



JEREMIAS COLLEGIIS
Ecclesiasticis & Schola
Schonaichianis

In

X **IN HAGIOPRAXIAM**
GEORGH VECHNERI D.

& Professoris Pietatis in Gymnasio
Schonaichiano.

EST aliquid Verbi pro norma posse sacra
Argute & graviter de PIETATE loqui.
Sed vita & factis prestare quod ore disertis
Lingua solet graviter de PITATE loqui:
Hoc opus, hic labor est, ut vix exempla supersint,
Olim Zopyridas quot reperisse datum est.
Hoc opus hoc urges VECHNERE piissime quanto
Conatu potis es mentis & ingenii:
Et non tam argutos quam sanctos reddere gaudes
Ore PIO & factis, Teq, tuumq, gregem.
QVÆ tibi pro ali reddentur dona labore!
Æternam est quod dat pro PIETATE DEUS.

JEREMIAS COLERUS

Ecclesiastes aulae & Professor Scholæ
Schonaichianæ.

DE



In HAGIOPRAXIAM
GEORGH VECHNERI D.
 & Professoris Pietatis in Gymnasio
 Schonaichiano.

EST aliquid Verbi pro norma posse sacri
 Argute & graviter de PIETATE loqui.
 Sed vita & factis prestare quod ore deserto
 Lingua solet graviter de PIETATE loqui:
 Hoc opus, hic labor est, ut vix exempla supersint,
 Olim Zopyridas quot reperisse datum est.
 Hoc opus hoc urges VECHNERE piissime quanto
 Conatu potis es mentis & ingenii:
 Et non tam argutos quam sanctos reddere gaudes
 Ore PIO & factis, Teq; tuumq; p regem.
 VAE tibi pro ali reddentur dona labore!
 Eternum est quod dat pro PIETATE DEUS.

JEREMIAS COLERUS
 Ecclesiastes aulae & Professor Scholae
 Schonaichianae.

Typus Dissertationis
DE PIETATIS PROFESSIONE.

DE PIETATIS PROFESSIONE duo explicantur: Ejus
DISTINCTIO a Professionibus Theologicis aliis: quae patet ex

- SCOPO: qui in Professione**
 Biblicae est, Vera & perspicua Textus sacri intellectio:
 Locor. Comm., Concinna & Plena singulorum Relig. capit. cognitio:
 Pietatis, Intenta contentaq; Pietatis exercitatio.
- MEDIIS: quae in Professione**
 Biblicae, Librorum sacrorum { Resolutio,
 { Explicatio:
 Locor. Comm., Dogmatum Religionis { Methodica Tractatio;
 { Solida confirmatio & con-
 { tra adversantes defensio.
- Pietatis, Doctrinae, ad Pietatis praxin pertinentis,
 Methodica contextio;
 Axiomatica comprehensio;
 Practica seu Pathetica Pertractatio: quam reddis idoneam
 Rerum Selectus;
 Sermonis Affectus;
 Tractandi Processus: qui dirigendus ad Animi
 Dispositionem pro praxi, ex parte
 Intellectus, { Explicatio,
 { Probatio,
 Voluntas, { Commendatio,
 { Exhortatio;
 Memoria, Occasionaria commonefatio,
 Imaginativa, { Exemplis,
 { Figuris Biblicis,
 { Parabolis;
 Sensus, { Emblematis,
 { Exemplis vivis, &
- Exercitationem in praxi, per
 Implorationem divinae illuminationis;
 Examinationem sui ipsius:
 Agnitionem & confessionem delictorum:
 Conscientiae convictionem & consolationem:
 Peccatorum deplorationem & deprecationem:
 Propositi boni formationem & conceptionem.
 Gratiarum actionem pro boni inceptio:
 Exorationem auxilii pro boni perfectione.

ADORNATIO: quae patet per delineationem INSTITUTIONIS PIE-
TATIS PRACTICAE, Tabula sequentis.

PRACTICA PIETATIS CHRISTIANAE INSTITUTIO constat
INTRODUCTIONE Generali ad verum veram Pietatis studium, per Axi-
 mata De Pietatis natura atque studio in genere.

DEDUCTIONE Particulari per tractationem
 De OBLIGATIONE nostri ad Pietatem erga DEUM: cujus obligatio-
 nis TITULI alii ex parte

- DEI, ejus { Dignitas,
 { Benignitas,
 { Voluntas,
 { Severitas &c.
 Nostri, Naturae Humanae conditio, &c.
 DE FINE FRUCTUQ; Pietatis: qui ex parte
 DEI, { Gloriae divinae amplificatio:
 { Bonorum Maximorum Accersio;
 Nostri, { Malorum summorum Aversio.

DE OFFICIIS PIETATIS in specie, quae spectantur tum secundum
DISTINCTIONEM inter sese: quae ratione alia sunt

- Preparatoria ex parte
 Naturae, ad Pietatem directam
 Contemplatio,
 Doctrinae observatio; juxta praecipit. Christi. Mat. 6. v. 26. 28.
 Scripturae tum
 Divinae, ubi { Receptio, Lectio,
 { Scrutatio, Meditatio &c.
 Profana, ubi Librorum, Auctorumque
 Quorundam Devotio,
 Aliorum ad Usum bonum Accommodatio. &
 Nostri ipsorum, ubi
 { Nostri cognitio; Animae custoditio;
 { Carnis castigatio; Membrorum Gubernatio &c.
 Hominum Aliorum, ubi
 { Piorum, Auscultatio; Conversatio &c.
 { Impiorum, Aversio; Devotio &c.
 Perfectiori a: inter quae alia

VOCATIONIS & FOEDERATIONIS: ubi officia alia

- Fundamentalia, ut Poenitentia:
 Fides.
 Superstruenda, Fructuumq; instar proferenda, Nemp
 Deposito MALI seu devotio Peccatorum, quorum alia
 Evellenda ut Radices, qualia sunt
 Veri Boni, nemp DEI
 Patris Ignoratio;
 Christi Magistri Aversio;
 S. Spiritus adversa Reluctatio:
 Falsi Boni, nemp
 Mundi, Vana Suspectio;
 Vesana Dilectio: & hinc
 Nostri Delira Adamatio;
 Stulta Abblanditio:
 Ex quibus ulterius promerget
 Proximi Pra nobis Despectio;
 Propter nos Neglectio:
 Excindenda ut Stirpes, qualia sunt respectu
 DEI, superstitio, Idololatria &c.
 Nostri, quae spectatur bonum mundanum
 Eminentiae, Superbia;
 Abundantiae, Avaritia;
 Appetentiae, Voluptuositas:
 Proximi, Ira, Odium &c.
 Rescindenda ut Frondes, qualia sunt
 Congregationum piarum Desertio,
 Vaniloquium, Cum alienis peccatis
 Communicatio &c.
 Praevenda, ut Frondes, qualia sunt
 Temeraria de Misericordia DEI in peccando
 praesumptio;
 Blasphemia in SS.; Apostasia &c. (nobis
 susceptio BONI, seu peractio Bonorum operum: ubi alia in
 Desingenda ut Radices, qualia sunt respectu
 Veri Boni, nemp DEI
 Patris Agnitio;
 Christi Dilectio, & Imitatio;
 S. Sancti obsecundatio
 Falsi Boni, nemp
 Mundi, Despectio; Neglectio: & hinc
 Nostri, Sancta exosio; Rigida Examinatio:
 unde succedit facilius
 Proximi aequa ut nostri Dilectio.
 Educenda ut Stirpes, respectu
 DEI, Fiducia, Humilitas
 Adoratio, Invocatio &c.
 Nostri, quae spectatur Bonum
 Eminentiae, Humilitas; Modestia:
 Abundantiae, Frugalitas; Parsimonia;
 Appetentiae, Temperantia; Castimonia;
 Proximi, Mutua observantia, Tolerantia,
 Beneficentia, Condolentia &c.
 Curanda ut Germina, qualia sunt
 Solennis divini cultus frequentatio;
 Alienor. peccatorum impeditio &c.
 Expandenda ut Frondes, qualia sunt
 Vigilantia, Perseverantia, Martyrium, &c.
- OBSIGNATIONIS & Professionis, ubi**
 Baptismi, { Credula susceptio;
 { Sedula suscepti Recordatio;
 Coena Dominica, Digna Grataq; concelebratio.
 Propria, respectu Status, Gradus, sortis diversae; ubi alia circa
 Adeptionem status &c.
 Administrationem.
 Statuum; ut Coelibatus, Conjugii:
 Dominor., Servorum &c.
 Conditionum; ut Divitum, Pauperum &c.
 Qualitatum; ut Eruditorum, Idiotarum
 Aetatis: ut Puerorum, Juvenum, Virorum, &c.
- ACCOMMODATIONEM** ad Locorum Temporumque tum
 Differentias varias, ut sunt respectu
 Locorum, Domi, Foris; Privatim, publicè &c.
 Temporis, Mane, Vesper, &c.
 Incidentia varia, eaq; tum
 Ordinaria, ut sunt, sumtio cibi; Laboris Aggressio &c.
 Extraordinaria, tum
 Prospera; ut Serenitas, Pax, &c.
 Adversa; ut Bellum, Pestis, Persecutio &c.



PROEMIUM AD AUDITORES
IN DISSERTATIONEM
DE PIETATIS PRO-
FESSIONE.



Quandoquidem PIETATIS PROFESSIO publicè nunc initianda est hoc loco, solenniterque à me indicenda: fieri illud minimè potest dexterius: quàm si in ipso quoque primordio Professionis ejus, allaboretur eò ante omnia: ut PIETAS ipsa, ratione aliquà simul, & exerceatur & exsuscitetur.

Igitur converto me in initio, ad PATREM D.N. JESU CHRISTI Benignissimum; gratiasq; illi ago toto pectore: quòd promissa, olim per ESAIAM Ecclesiae suae facta, hodierno quoque tempore, tam memor adimpleat; tam largus exsolvat. *Esai. 49. v. 23.*

Facit nimirum fidelissimus expromissor ille, caelesti providentià suà: ut Reges, Principes; Summi, Inferiores; Comites, Barones, Nobiles, nutriti sint coetus Christiani, verè benigni; mirè munifici.

Facit sapientissimus idem Promissorum suorum perfector: ut Evergetæ illi, curatores existant coetus ejusdem, rectè providi; piè prudentes: nec tantum lar-

B gita





PROEMIUM AD AUDITORES
IN DISSERTATIONEM
DE PIETATIS PRO-
FESSIO NE.



Quandoquidem PIETA-
TIS PROFESSIO publicè
nunc initianda est hoc loco,
solenniterque à me indicen-
da: fieri illud minimè potest
dexterius: quàm si in ipso quo-
que primordio Professionis
ejus, allaboretur eò ante om-
nia: ut PIETA s ipsa, ra-
ione aliquâ simul, & exerceatur & exuscitetur.

Igitur converto me initiò, ad PATREM D.N.
JESU CHRISTI Benignissimum; gratiasq; illi ago to-
to pectore: quòd promissa, olim per ESAIAM Ecclesiæ ^{Esa. 49.}
sua facta, hodierno quoque tempore, tam memor ad- ^{r. 23.}
impleat; tam largus exsolvat.

Facit nimirum fidelissimus expromissor ille, cœ-
lesti providentiâ suâ: ut Reges, Principes; Summi, Infe-
riores; Comites, Barones, Nobiles, nutricii sint coetus
Christiani, verè benigni; mirè munifici.

Facit sapientissimus idem Promissorum suorum
perfector: ut Evergetæ illi, curatores existant coetus
ejusdem, rectè providi; piè prudentes: nec tantum lar-

gitate consulant rei Christianæ; sed & institutorum commendabilissimorum dexteritate.

Cum primis verò, gratiam illam suam præstitit nobis Deus hoc loco: in quo *SCHÖNAICHIANA munificentia, SCHÖNAICHIANA prospicientia*, memorabiliter rebus Scholasticis Ecclesiasticisque, pridem hodieque consulitur.

Factum id est annis jam superioribus aliquot: quibus *Illustris Generosissimusq; Dominus, GEORGIUS à SCHÖNAICH, Lib. Baron. in Carolat, Beutben, Milkau &c. Sac. Caf. Maj. Consiliarius, & per Slesiam ac Lusatiam Cancellarius, memoria gratiosissima*, hoc juxta cum curis aliis, ad Rempubl. pertinentibus, egit: ut post beneficia in pauperes collata alia, post dotatas eximie Ecclesias aliquot, adornaretur quoque *Gymnasium hoc Illustre*: adeoque & ædificium istud, tam commodum, tam splendidum extrueretur; & de benefico citatu juventuti pauperulæ prospiceretur; & ordo hic totus docentium ac discipulorum convocaretur.

Fit idem non minus etiamnum: dum, quod erectum est constitutumque, provisione magnâ; continuatur custoditurque non minore: dum *Dynastia SCHÖNAICHIANÆ successor dignissimus, JOANNES à SCHÖNAICH, BARO Generosissimus, Patronus noster Gratosissimus, SCHOLAM à Patre Patruoque suo meritissimo, piissime fundatam, tuetur strenue; fovet & complectitur benevolè; sollicitè; conmittitur ulterius magisque exemplificare.*

Profectò ista, tam luculenta Dei beneficia, suppetant abundè in laudum divinarum argumenta: nec curam esse nobis ullam potiorem, super iisdem, convenit

nit: quam ut rectè quoque illis persuamur, promtis, ut expedit; gratis, ut æquum est, animis.

Atque utinam, paternam hanc Dei gratiam, patria universa SILEZIA, dignè ipsa quoque agnosceret: nec socordiâ aliquâ pateretur, parte hac, præ se confinia sapere rectius; avidiusque frui factâ divinitus, tam exoptabili studiorum bonorum opportunitate. Certè non poterit, sine publico, apud quosque piè cordatos homines, etiam longè hinc diffitos, propudio, gratia illa, tam præsens, tã in conspectu elocata & nobis quasi porrectim oblata, neglectim despectimve haberi. Nam præterquam, quòd Max. Opt. q; Deus, flexit benignissime, Beneficentissimi Fundatoris animum, ad munificam, pro Gymnasii constitutione, erogationem; rexit eundem quoque idem sapientissime, & direxit, ad prudenter exquisitam, piissimeque meditatam eorum omnium concinnationem: quibus Gymnasium idè commendari præmodum potest.

Ut alia nunc attingam, ne obiter quidem: UNA PIETATIS PROFESSIO, quam in Gymnasio suo peculiarem, præcipuam; & perenni sanctam esse, Illustris FUNDATOR voluit; argumento satis esse potest: quam piâ, quamque deliberatâ prudentiâ, SCHOLA ILLUSTRIS SCHÖNAICHIANA sit instituta. Scilicet Professio ea, *Sacrum quoddam Gymnasii ejus peculium est: Professio ea divinum, ac singulare est Gymnasii ejus CHARISMA*: quo dotatum est illud insigniter, præ plerisque aliis.

Gloriantur non rarò loca alia, quæ studiis liberalibus passim sacra sunt, corporalium exercitiorum opportunitate & frequentia: eoque nomine prærogativam sortiuntur non exiguam. Si sit, ubi palæstrica, ubi equestria, ubi saltatoria, ubi jaculatoria, ubi jocularia quæ

que alia tractentur: vel istorum gratiâ, confluxus fit, ex remotissimis oris. At gloriari *Illustrè Gymnasiū SCHON- AICHIANUM* iustius potest, peculiari illo, Pietatis ex- scitandæ & exercendæ, instituto: coque nomine forti- ri debet prærogativam, multò maximam. Dum in eo sigillatim hoc agitur: ut à vitiis retrahatur juvenus: ad virtutem, ad Pietatem illiciatur, exerceatur, destina- tissimâ operâ: profectò auctoramentum hoc dignissi- mum est: quò Gymnasium illud frequentari unde quaq; ; quò condiscipulatus in eodem exambiri, concursu ma-

1. Timoth. 4. v. 8. ximo debeat. *Nam corporalis exercitatio, paululum ba- bet utilitatis, At PIETAS ad omnia utilis est: ut qua promif- siones habet, vita hujus presentis, ac futura.*

Sed, ut ad gratam dignamque, Charismatis tam divini usurpationem, instimulare Sympatriotarum ex- terorumque animos nunc cogito potissimum, com- memoratione istâ: ita quoque ad publicam instituti ejus, tam præstabilis, incohatationem atque admini- strationem, divino cum maximè mihi opus esse au- xilio, unà profiteor. Supplex itaque adorior &

Heb. 2. v. 11. adoro *δεχνηγὸν Fidei nostræ CHRISTUM JESUM:* totoque corde eundem oro: ut, quoniam *in ipso recon-*

Col. 2. v. 3. *diti sunt omnes thesauri sapientia & scientia, de plenitudi- ne suâ etiam conferat tantum in me: quò idoneus sim ad Pietatem verè efficaciterque docendam. Jubeat ad- esse mihi Spiritum illum suum; quem pollicitus est, se- riò cum & cum fide expetentibus; Spiritum illum veri- tatis; paraclatum fidelium; redargutorem mundi. Eo me repleat, me dirigat, me instruat: ut dextrè & nervos sè evaleam, commissum mihi cœtum, catervam illam*

Heb. 10. 24 scholasticâ *κατανοεῖν εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων:* h. e. *observitare & informare ad fervorem caritatis, bono- rumq; operum.*

Qua

Quæ Christi Salvatoris gratia, ut deveniat in me, tantò uberius; rogo simul omnes, qui cupiunt pietatem juventuti studiosæ, quàm penitissimè implan- tata: quin per communem hæreditatis cœlestis spem, omnes obtestor: ut suas quoque preces meis in impe- trandâ Spiritus Sancti assistentiâ, adjungant: apudq; Patrem luminum, ardentibus votis, mecum instent: quo donis necessariis ad functionem susceptam, indies me magis instruat; eadem clementer adaugcat; eadem, in me constanter conservet.

Facient id prontè: qui perspiciunt, quantæ sit ardui- tatis, Professionis ejus institutum: qui animadvertunt, non esse illud, nisi ex divino instinctu, nisi ex prudentiâ verè religiosâ, profectum.

Si quisunt, qui satis id nondū perspexêre: pauca quædâ de Professione illâ, ex subjunctâ dissertatione benevolè cognoscent. Quam ideo quoq; præmitto subsequituris prælectionibus: ut, & desideriis multorum satisfiat; qui de Professione eâ sæpenumerò sciscitati sunt: & juven- tus ipsa videat: quid expectare porrò debeat. Ita simul, videor mihi, & curiositati, neuti quam temerariæ, op- portunè consulturus; & juventutem studiosam, prævio gustu quodam, ad attentionem fervidiorem invitaturus; & omnibus deniq; in Deum probè animatis mate- riam exhibiturus, & agnoscendæ & concelebrandæ di- vine gratiæ.

DISSELTATIO IPSA
DE PIETATIS PRO-
FESSIONE.

Veniunt igitur, de PIETATIS PROFESSIONE, duo
præcipuè in disquisitionem.

Unum est: *Quænam sit ejus VERA & GENUINA
DISTINCTIO, à Professione Theologicâ, vulgò
notâ, in scholis trita; tum Biblicâ; tum Locorum
communium.*

Alterum est: *Quomodo eadem, methodicè nervo-
se, sit INSTITUENDA ET ADOR-
NANDA.*

Perspici utrumquæ faciliè & dilucidè poterit: si defi-
nentur accuratè, & interstinguantur inter se,

Tum SCOPUS professionum istarum,

Tum MEDIA seu VIE ad scopos illos seorsim di-
versimodève directa.

SCOPUS PROFESSIONIS CUJUS QUÆ, est
idipsum: quod in auditore, seu discipulo, effici, confieri existe-
reque debet, professionis ejus beneficio, seu interventu.

*Quod ipsum etiam propterea, à Professore & intentè spe-
ctandum; & in Auditore, reapse, (quantum per Professo-
ris prudentiam & diligentiam sit) præstandum & confi-
ciendum est; adhibente, nimirum Auditore, debitam quo-
que attentionem & industriam; Deo verò calitè incremen-
tum dante.*

SCOPUS ergò PROFESSIONIS BIBLICÆ,
est vera perspicuaque intellectio Textus sacri Ca-
nonici: quâ cum conjungitur Textus ejusdem ad
usus salutare accommodatio.

*Usuum eorum loco, præcipuè in Scholis habetur, Veri-
tatis*

tatis intelligentia, ejusque propugnatio, & propagatio.
*Adjungi à quibusdam solet ipsa Vita Christianæ institu-
tio seu Exercitatio: quod tamen Professioni Ecclesiasti-
cæ, seu Concionatorix ac Pæstorali Functioni, ferè trans-
scribitur; usu trito, & ex eo hant dubiè profecto: quod vix
queant omnia ista ab uno conjunctim spectari, & curari di-
gnè satis ac sufficienter.*

SCOPUS Professionis Theologicæ, quæ LOCO-
RUM COMMUNIUM vocatur in Scholis, est
RECTE ORDINATA, PLENE CON-
CINNATA, BENEQUE CONFIRMA-
TA COGNITIO DOGMATUM CHRI-
STIANÆ RELIGIONIS.

SCOPUS Professionis PIETATIS, est: INTEN-
TA CONTENTAQUE PIETATIS, hoc
est, officiorum Christianorum PRAXIS seu
PRAESTATIO atque EXERCITATIO.

Vel, est VITA VERE CHRISTIANA, quatenus
institutâ nobis; aut IPSA PIETAS, quatenus
actualiter, ἐνεργητικῶς, reipsâ, existere in nobis debere
cogitatur.

Ut Scopus functionis Medicæ, est sanitas actualis: ita Sco-
pus Professionis Pietatis, est Pietas actualis.

Dabitur vocabulis licentia: si vel barbarismus, aut stribi-
ligo etiam quædam rerum dare potest evidentiam; &
faciliorem conciliare intelligentiam.

Spectatur aded in Pietatis professione illud directè: quod
in Epistolâ ad Hebræos, cap. 10. v. 24. vocatur *πυροῦσμός
ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων*. H. E. PAROXYSMUS
CHARITATIS & BONORUM.

*Paroxysmi nomen, quid in mentem revocare debeat nobis,
planum est. Nempe designatur eo, Ferror, vigor, acri-
monia quadam, exacutio, effervescencia, exardescencia,
flagrantia, & quasi bullitio atque effluentia charitatis &
bonorum operum. Designatur nomine eo quasi con-
tentio*

Act. 15.
v. 39.

tentio quædam atque concertatio in Pietatis charitatis-
que studio: prout inter Paulum Barnabamque oborta
exacerbatio & contentio, *παροξυσμὸς* quoque appella-
tione exprimitur.

Ita diversarum Professionum Theologicarum SCOPI
PI habent: manifestumque est, Schönaiichianam illam
PIETATIS PROFESSIONEM, esse nec *ἀσκοπον*; hoc
est: absque scopo suo certo & proprio; nec *ἀπερίσκεπτον*
h. e. inconsideratam, temerève sancitam & introdus-
tam. Quàm eadē professio illa, sit *ἀξίοσκεπος*, & divi-
nis literis omninò congruens: advertere juxtà licuit.
Sed de mediis, viisq; distinctis professionum, quarū SCOPI
indicati hætenus, videndum est deinceps.

MEDIUM, seu VIA ad Professionis scujusque scopum de-
ducens, est prudens propositio fidelisque instillatio eorum: quo-
rum rectâ perceptione, probaque observatione, existere in audi-
tore, aut confieri ab eo id potest: quod Scopi loco præfixum est.

MEDIA ergò pro Scopis Professionum Theologicarum, modò
distinctim designatis, sic habent.

MEDIA pro Scopo PROFESSIONIS BIBLI-
CAE sunt.

I. *Resolutio* Textus sacri Logica; quæ commodissimè
institui videtur,

Per, 1. Scopi principalis, tractatique Thema-
tis indicationem:

2. *Membrorum* seu partium præcipuarum, ad
Scopum illum, à scriptore directarum,
designationem.

II. *Expositio ejusdem Textus Grammatica*, atq; ex au-
thentica lingua interpretatio: Quod fit, per ver-
borum Phrasiumque,

Si sit in iis obscuritas aliqua, idiotismusve lin-
gæ authenticæ proprius seu peculiaris, *Lexi-
cam declarationem*;

Si

Si sit ambiguitas aliqua, *etymologicam distin-
ctionem*;

Si sit in iisdem transpositio aliqua, aut non
satis evidens connexio, *Syntacticam ordina-
tionem*, coherentiæque genuinæ manifesta-
tionem.

III. *Excussio Rhetorica*, per emphasem in verbis,
phrasibus, formulisque loquendi, latentis evolu-
tionem: adeoque elucidationem
tum *exornationis Tropica*;

tum *amplificationis Figuraria*;

Secundum fines, ususque Troporum & fi-
gurarum quoquo loco spectatos.

IV. Veri genuiniq; sensus, ex verbis Gramm. Rhe-
toriceque explanatis, *paraphrastica expressio*, per
lingvam idiomaque auditori notum.

V. Sensus *ejusdem declaratio*, & demonstratio; tum
ex Analyseos *coherentia*: tum ex verborum, dictio-
numve *significantiâ*; tum ex scripturarum aliarum,
seu locorum diversorum *consonantiâ*, ipsaq; fidei
analogia.

VI. Sensuum falsorum, aut incongruorum; vel à fe-
ductoribus & corruptoribus affictorum; vel ex
verbis fortè apparentium; *confutatio*: quæ fieri iis-
dem propè mediis potest: quibus demonstratio-
nem fieri intellectum est.

VII. Sensuum aliorum diversorum, qui ex verbis
conciipi quoque possint, nec interim falsi sint,
aut incõgrui (h. e. nec presentis Textus scopo, nec
ejus circumstantiis, nec cæteris scripturis, fideiq;
analogiæ adversi) *commonstratio*; & maximè in-
ter eosdem utilis necessarii que commendatio.

VIII. Doctrinarum seu sententiarum spiritualium,
regula

C

regularū religiosarum, commonefactionumque salutarium, adque vitam Christianam. necessariorum & utilium ex sensu declarato & demonstrato, exstructio: que fit, vel

Per bonam probamq; consequutionem;
Per theses ad hypotesin, contraq; Hypoteses ad Thesin translationem;

Per similia cum similibus, h. c. Terrenorum cum cœlestibus; corporalium cum spiritualibus; presentium cum præteritis collationem.

*Per recordationis commonefactionisq; & considerationis salutaris arreptam, & quomodo-
cunque captatam occasionem.*

IX. Earundem sententiarum, regularum, commonefactionumve ad usus auditorum peculiare salutare que **APPLICATIO**, seu accommodatio: per

Confirmationem veri;
Redargutionem falsi;
Adhortationem ad Bonum;
Dehortationem à Malo;
Consolationem in anxietate;
Contristationem in securitate.

Media hæc, tam multivaria, tum usuveniunt singula: si Scopus Professionis Biblicæ is, qui ante descriptus est, spectetur universim. Sed perinde ea, non omnia atque singula in scholis adhibentur: prout ut in iisdem, Scopus ille descriptus, [ex parte potissimum priore, spectatur.] Visum tamen est, ista diductius delineare; Primò, juventutis gratiâ; ut ipsa, hac quoque occasione, manuducatur ad pietatem semper unâ curandam; inque studiis & exercitiis

The

Theologicis, nunquam & nusquam omittendam; Deinde, negotii præsentis causâ; ut manifestius eluceat postmodum: quæ sit genuina *distinctio* Professionis Pietatis, à Professione Biblicâ.

MEDIA pro Scopo professionis Theologicæ, quæ **L O C O R U M C O M M U N I U M** dicitur, sunt

1. *Plenaria, Methodicæq; doctrinae totius sacre contextio:* aut capitum præcipuorum, in selecto aliquo libro comprehensorum, prælectio.
2. *Doctrina ejusdem, vel peculiari operâ contexta;* vel ex libro selecto, prælectæ; quæ quid in illâ *obscurum est*, Declaratio; *dubium videtur*, Confirmatio; *oppugnari solet*, Defensio.

Si tamen liber ille, pro Scopo dicto selectus, & prælectus, conscriptus sit humanitus: præter dicta, in mediis quoque numeranda sunt;

1. *Si quid scripturis sacris adversum in sit*, ejusdem Correctio;
2. *Si quid ad doctrinæ salutaris perfectionem desit*, ejusdem Suppletio;
3. *Si quid Superfluum & impertinens adsit*, ejusdem omissio ac præteritio.

MEDIA pro **S C O P O** Professionis, quæ **P I E T A T I S** appellatur, sunt, (si res ea universim spectetur;)

I. **D E S I G N A T I O** seu **D E L I N E A T I O** *Brevi ac perspicua Doctrina ejus, quæ P I E T A T I S P R A X I S* præcipuè continetur;

II. **P E R T R A C T A T I O** Doctrinæ ejusdem uberior, & ad Praxin promovendam singulariter accommodata.

D E S I G N A T I O verò illa instituetur perquam commodè,

tum per METHODICAM doctrinæ illius DISTRI-
BUTIONEM;
tum per AXIOMATICAM præcipuorum Doctri-
næ ejusdem membrorum COMPREHENSIONEM.

Ipsa porrò PERTRACTATIO illa uberior; ita po-
tissimum instituenda est, atque conformanda: *ut
animi ad praxin & Dispositioni & Exercitationi ac-
commode inservire queat.*

Ac poterit Pertractatio ea dici etiam propterea, *Tracta-
tio Practica, seu Pathetica, itemque Excitatoria, &
Exercitatoria.*

Ejusmodi verò PERTRACTATIO illa futura vide-
tur; si instituatur ipsa universim, *accommodo idoneo-
que ad praxin promovendam,*

tum RERUM SELECTU;
tum SERMONIS AFFECTU;
tum TRACTANDI PROCESSU.

RERUM SELECTUS accommodus, idoneusque est:
si adducantur, attinganturque ea tantum, aut
potissimum; quæ ad PIETATEM faciunt ac per-
tinent directe, manifestè, *ὁμολογημένως*, omnium
confessione; *ἀπαλλήρητως* sine contradictione & di-
sputatione scrupulosâ; *εὐχεήτως καὶ εὐλήπιως*, utili-
ter, atque cum percipiendi facilitate: si contra præ-
tereantur & omittantur: quæ ad PIETATEM,
vel non pertinent prorsus; vel parùm nihilve fa-
ciunt; vel non nisi ambagiosâ scrupulosâque di-
sceptione referri eò queunt, adeoque disti-
nent animum potius à Praxi, quam ad eam pro-
movent.

Monee

Monee hac de re perquam prudenter, *Erasmus in præfatione
ad Encheiridion Militis Christiani: cum inquit: Nullus non refert
bene vivere: ad quod Christus, omnibus aditum facilem esse voluit;
non inexplicabilibus disputationum labyrinthis; sed fide sincerâ, cha-
ritate non fictâ: quam comitatur spes qua non pudefit.*

Sed ipsarum quoque literarum sacrarum monita, loco plus-
quam uno, de ejusmodi rerum selectu, nos instruunt. Jubeat Pau-
lus: *ne attendamus fabulis, & genealogiis interminatis: qua quæstio-
nes præbent magis; quam adificationem: qua est per fidem.* Pari mo-
do, cum percensuisset, quæ ad PIETATEM CHRISTIA-
NAM spectabant; subjungit & injungit Timotheo: ut ea admo-
neat, contestans coram Domino: *ne verborum pugnas sequantur: ut
qua utilitatem non habeant: sed ad subversionem audientium tendant.* Sic
ibidè *stultas, ineruditasque quæstiones seu quæstiones sine disciplinâ, h.
e. quæ ad disciplinam nihil faciant, respiciunt: quia pugnas pari-
ant.* Non absimilia sunt quæ Tito idem inculcat circa finem ejus
Epistolæ. Cum sermonem indubitatum nominat: ut quem
observare urgereque deceat: subdit mox: *De his volo; ut te confir-
mes: quò solliciti sint: ut bonis operibus præsent, qui crediderunt Deo.
Hac enim, inquit porrò, sunt honesta & utilia hominibus. Stultas au-
tem quæstiones, & genealogias & contentiones ac pugnas legales o-
mittite: sunt enim inutiles & supervacaneæ.* Quod si omninò, inter-
versoria Satanz astutiâ, seductricique perversitate, circa articu-
los plerosque fidei summos, deducta res videtur eò, hodiè: ut vix
superfit propè caput doctrinæ salutaris aliquod: quod à contro-
versia omni immune; quod apud omnes in confesso sit: operam
tamen dare in professione hac conveniet: ut ne ad controversias
movendas, atque tractandas declinemus. Rectissimè & eleganter,
monitum est eâ de re, à Ludovico Vive, libro, *de causis artium corru-
ptarum sexto, sub finè* ubi scripsit in hunc modum.

*Disputationes minimè sunt idoneæ, vel ad persuadendum; vel
ad reddendos meliores homines. Nam, qui contra disputat; aut qui
quæstionem audie, tanquam classicum; parat se continuo ad pugnam,
& munit undiq; ut resistat; ne capiatur, aut vincatur: Ita agrè
admittit in animum suum eum, qui dicit: ut sententiam ejus, quam-*

libet rectè monentis, transeat. Etenim caves sibi ab illo, non secus ac ab hoste. Quocirca morali persuasioni, qua non adeò doctre vult, ut hortari, & incitare ad opus; nihil est ita inimicum, atque altercationes, aut, contrarium existimari, dicentem audienti. Et hoc est incommodius: quod hic non, ut in naturæ disciplinis, adduci possint argumenta, ex cognitione ac iudicio sensuum petita: sed omnia in verisimilitudine rationum sunt facta: quæ à pernici ac repugnantibus, aut eludi possunt; aut cerè negligi. Quàm elegantes, & acutæ, & ad persuasionem aptæ, ac concinnæ sunt Platonis, & Ciceronis; & Senecæ, rationes! quàm facile omnibus persuadent! At Laëtantio minimè persuadebant; quod insensu legeret. Idem ipse Aristoteles, prudentissimè admonet; ad ciendos, sedandosque animorum motus, dialecticam non esse adhibendam. Quantò minus Philosophia morum proficiet: utique, ut in scholis tractatur. Ideo juvenes, inter morales illas altercationes, & tot strepitus de omni genere virtutum, ac bonorum morum, probitatis nihil trahunt. Non in illo exercitio colorantur: quod in alijs solet contingere: contrà, citius multis inquinantur vitiis: quòd scilicet, omnia illa sic dicuntur: ut, nec commendari virtutis excellentia possit animis; nec vitiorum feditas esse odium. Quantò, & ad perferendam iratam fortunam fortior; & ad prosperam regendam sapientior; deniq; ad vitam omnem commodior, compositis animi tumultibus & tempestatibus, ex unâ Senecæ, aut Plutarchi pagina recedat lector: quàm ex universis commentariis Almeini, & Martini Magistri: quantumvis, & moralia, & de fortitudine, ac temperantia inscribantur! Quid? quòd ex illâ consuetudine, recipiendi in animos, res præstantissimas, sine ulla dignatione: ducitur callus: ne ulla deinceps ad virtutem exhortatio, possit in pectus induratum penetrare. Nec aliter, non prodest animis, hac medicina animorum: quàm nec corpora juvare potest, pharvacum, aut potio: cui citra necessitatem, & per lusum, assuescimus.

Quam Vivis, viri euditissimi, commonefactionem, quomodo ad rem præsentem, & professionem PIETATIS accommodare deceat, judicare in proclivi est.

SERMONIS AFFECTUS vix est alius aptior accommoda-

modatiorque, ad praxin promovendam; ac qui in ipsis quoque literis sacris subinde reperitur usurpatus: qui à Patribus quoque plerisque, cum singulari gratiâ atque suavitate, ad PIETATEM docendam & excitandam est adhibitus.

De quo cum ex Patrum meditationibus; soliloquiis, colloquiis quæ Anselmo prologia dicuntur, constare facile cuique possit; supersedebo ego commentari hoc loco aliquid. Unum indicabo tantum, quod ad rem hanc pertineat: ita nempe conciliari accommodum istiusmodi AFFECTUM SERMONI facillimè: si sermo fiat PERSONATUS: (licet ita dicere, compendii causâ) h. e. si tali modo sermo instituat: ut videatur, vel à personâ proficisci & institui; vel ad personam etiam dirigi: vel utroque etiam modo sese habeat.

Persona porrò intelligenda hoc loco non vera tantum, sed & ficta; quippe insignem efficaciam sermo acquirit utroque modo.

Quàm pollet sermo: cum Deus ipse loquens introducit Psalmo 50, Impio autem dicit Deus: Quid tibi vis quòd commemoras cetera remonias meas? Cur ore tuo fadus mecum jactas? cum odio habeas disciplinam & verba mea post te abjicias. Quantus accedit sermoni vigor cum Paulus inquit 1. Cor. 15. Ubi tuus, ô Mors, aculeus? Ubi tuus ô Inferne, victoria?

Quantâ gratia atque efficaciâ prædita est commonefactio de creaturis: quæ personarum confictione instituitur apud Hugonem de Arca lib. 2. c. 3. Omnis creatura tribus vocibus loquitur.

Accipe. Redde. Fuge.

Prima vox est; Accipe beneficium: Secunda; Redde debitum servitium: Tertia; Fuge supplicium. Prima vox est famulanti: quâ COELUM dicit: ministro tibi LUCEM in DIE; ut vigiles: TENEBRA Sin NOCTE; ut dormias. AER dicit: vitalem tibi præbeo flatum, & omne genus avium, ad tuum obsequium

sequium. AQUA dicit: Potum tibi do; arentia irri-
go; & piscium
genera præbeo ad tuum usum. TERRA dicit: ego te porto; pane
nutrio & vino; omnibus generibus fructuum & animalium men-
sas tuas repleo.

Secunda vox est *admonens*: quâ MUNDUS dicit: VIDE
HOMO! quomodo amavit Te; qui propter Te fecit ME! Ser-
vio Tibi; ut Tu servias illi; qui fecit me & Te.

Tertia vox est *comminanti*: quâ IGNIS dicit; à me combu-
rèris; AQUA dicit; in me submergèris; TERRA & INFERNUS
dicunt; à nobis deglutièris propter peccata; si Deo non servieris.

TRACTANDI PROCESSUS aptissimus ad
usum dictum fore videtur: Si post axiomaticam
præcipuorum monitorum comprehensionem,
subnexâ ulteriori pertractatione spectetur & pro-
moveatur

tum ANIMI ad PRAXIN DISPOSITIO;
tum EJUSDEM in PRAXI EXERCITATIO:
quatenus ea internè & quasi manu ductione qua-
dam, atque ex conceptâ & præscriptâ formulâ fie-
ri & institui potest.

ANIMI ad PRAXIN DISPOSITIO his gradi-
bus seu modis, (prout res exiget & tulerit) parari
poterit.

I. Ex parte INTELLECTUS,

cùm *Explicatione & declaratione uberiori Axiomatis*
cujusque traditi: (quæ explicatio institui potest,
per descriptionem, negativam, affirmativam; per
enumerationem partialium actionum; per dedu-
ctionem secundum diversas variasq; circumstan-
tias: prout ista omnium ad accuratiorem cujusq;
officii intelligentiam facere queunt:)

tum

tum *Probatione & confirmatione*, ex scripturâ sacrâ;
Ratione sanâ; monitis veterum &c.

II. Ex parte VOLUNTATIS & AFFECTUS,
Commendatione Boni, Virtutis;
Detestatione Mali, Vitii;

Item *Invitatione, Exhortatione, & Excitatione*, ad Bo-
num, ad Virtutem;
Avocatione, Dehortatione, Deterritione, à malo,
à peccato:

Item *Invitentorum* expositione;
Impedimentorum remotione:

III. Ex parte MEMORIAE & REMINISCENTIAE,
Ostensione occasionis, cuique passim obvix; quæque
parari facilè possit; aut arripi potius debeat, ad
officii-*Recordationem & Exercitationem*; ad sui i-
psius *Exuscitationem*:

Quo loco videndum cum primis est: ut monstretur; quâ ratio-
ne in rebus, quas tractat quisque præcipuè & frequentissime, occa-
sionem sibi sumere debeat, & sui ad Pietatem exuscitandi, & in
eâdem debito modo se exercendi.

IV. Ex parte IMAGINATIVAE,
Consideratione Exemplorum singularium;

Item *Accommodatione Figurarum Biblicarum, ut & Para-
bolarum sacrarum.*

V. Ex parte SENSUUM externorum, VISUS præ-
cipuè;

Inspectione Emblematum Piorum, atque accom-
modatorum: itemque *Picturarum & Imaginum*
ejusmodi: quæ pingi sine superstitione pos-
sunt; nec in cultum idololatricum transferri apte
sunt; minimè etiam ad cogitationes impuras
deserviunt.

D

pluri-

Plurimum quoque obtinebit hac parte **EXEMPLI** *vivi observatio*: quod commonstrandum, in quibusdam; præcipue verò exhibendum in ipsa **DOCENTIS** Personâ.

ANIMI IN PRAXI EXERCITATIO, quatenus modo supra dicto fieri potest, his ferè gradibus item seu modis (prout res quoque tulerit) convenienter instituetur.

1. **IMPLORATIONE** divinæ illuminationis, ad agnoscendam verè, circa quodque **PIETATIS** officium,

Et **DIVINAM VOLUNTATEM**;

Et **HVMANAM** seu suam cuiusq;

INFIRMITATEM,

PERVERSITATEM.

2. **EXAMINATIONE** sui ipsius, de officio quoquo: idque tum, quod attinet,

Ad intellectiõnem,

Ad Affectionem seu Appetitionem,

Ad Recordationem,

Ad Ipsam denique externam affectionem, tum ex parte

Defectus,

Progressus, seu Profectus.

3. **AGNITIONE & CONFESSIONE**, circa idem officium,

Imprudenter commissorum,

Negligenter omissorum,

Indecenter inceptorum.

Verissimè enim ab *Augustino* dictum: *Ea demum vera est ad perfectionem via, suæ cuiusque imperfectionis, & in veritate agnitio; & in humilitate confessio.*

CON.

4. **CONSCIENTIAE** ob peccata perpetrata **DEREATU** convictione & constrictione;

A CASIBUS variis extricatione;
CONTRA TENTATIONES consolatione, & confirmatione.

5. **SERIA DETESTATIONE & DEPORATIONE** *peccatorum antè commissorum, bonorum antè neglectorum seu omissorum;*

HUMILIQUE DEPRECATIONE Pœnarum per peccata illa promeritarum.

6. **FORMATIONE & CONCEPTIONE** **PROPOSITI BONI**, studiosè in posterum,

Erronei emendandi;

Mali defugiendi;

Boni perficiendi;

Defectus Supplendi.

Quæ ipsa Propositi conceptio, nervosior fiet, hærebitque in animo tenacius, adjunctâ

Meditatione Utilitatis & Necessitatis,

& contra;

Consideratione Dignitatis & Præstantia,

& contra;

Animatione & corroboratione contra Difficultatem, propositi illius exequendi.

7. **GRATIARUM ACTIONE** pro

Illuminatione Intellectus;

Infusione desiderii;

Incohabatione Exercitii:

PETITIONE & EXORATIONE

D 2

Illu-

*Illuminationis continuanda;
Desiderii augendi;
Initii perficiendi;
Auxilii, pro gubernatione & obsequio Car-
nis affectusque necessarij, porrò perpetuo-
que præstandi.*

Universariam, petitionis seu exorationis istiusmodi for-
mulam, subministrat, nobis Psalmus 143. v. 11. 12.

*DOMINE, doce me, facere voluntatem
Tuam: quia Tu es DEUS MEUS. SPIRITUS
TUUS BONUS deducat me in viâ rectâ &
planâ.*

Quâ nervosissimâ, divinissimâq; precatiunculâ finio jam
recensionem illam Mediorum, ad scopum professionis Pietatis
directorum.

Patet igitur, ex præmissâ scoporum mediorumq;
diversorum, in Professionibus Theologicis singulis,
hodièrnis, designatione, ni fallor, haut obscure: Quæ
genuina sit Professionis Pietatis, à Professionibus cæ-
teris Theologicis, DIFFERENTIA, seu DISTIN-
CTIO: Patet, inquam, per DISCRIMINA satis e-
videntia.

DISCRIMINA evidentia sunt,
IN SCOPO;
IN MEDIIS.

SCOPVS Professionis PIETATIS, figitur in AFFECTU
potissimum, inque illis ANIMI qualitatibus & facul-
tatibus: quæ PRAXIN, OPERATIONEM Q; seu
COGNITORUM INTELLECTORUM QUE EX-
ECUTIONEM, præstare queunt.

SCOPUS Professionū RELIQUARUM THEOLO-
GICARUM in INTELLECTU præcipuè figitur,
atque

atque in illis ANIMI FACULTATIBUS quibus
COGNITIO atque INTELLECTIO perficitur.

MEDIA, et si quod res, absolutè spectatas, attinet,
videantur esse, partem aliquam, eadem; differ-
runt tamen insigniter, (adcoque peculiarem cu-
ram jurè demerentur) & DISPOSITIONE seu OR-
DINATIONE; & TRACTATIONE seu ACCOM-
MODATIONE.

Quam verò Dispositio & Tractatio, Ordinatio &
Accommodatio peculiaris planè sit & Distincta,
in PIETATIS Professione: cui spicuum est
tum ex SELECTU RERUM, quæ afferendæ;
tum ex AFFECTU SERMONIS, qui adhi-
bendus;

tum ex PROCESSU TOTO, Quo pertractatio
ipsa contextenda.

Breviter. RES EAEDEM proponuntur & attinguntur,
respectu alio in Professionibus Theologicis cæ-
teris; alio in PROFESSIONE PIETATIS.

In Professionibus Theologicis cæteris, attingun-
tur & spectantur,

Sub Respectu VERI & FALSI: quæ utrumque IN-
TELLECTUI manifestandum ita est: ut,

ILLUD ASSENSU percipiatur & retineatur;
HOC DISSENSU respuatur & rejiciatur.

IN PROFESSIONE PIETATIS attinguntur & spe-
ctantur, quæ in aliis professionibus, de veritate
& falsitate explorata sunt & confirmata, sub res-
pectu BONI & MALI: quæ utrumque AFFECTUI
& VOLUNTATI proponendum & exponendum
ita est; ut,

**ILLUD appetatur & perficiatur;
HOC repudietur, & omittatur.**

Equidem Intellectus, tam circa Verum & Falsum, quàm circa Bonum & Malum versatur & occupatur: dum docemus, aut profitemur. Sed occupationis illius ratio est alia atque alia.

Circa Verum & Falsum versatur Intellectus; ut circa proprium objectum: in quo per Assensum, vel Dissensum, prout quidq; vel Verum vel Falsum esse cognoscit, conquiescit.

At circa Bonum & Malum versatur; non ut circa proprium præcisumq; objectum: in quo cognito conquiescat: sed, ut circa objectum ulterius promovendum, alteriusq; cuiusdam facultatis ANIMI proprium; nempe VOLUNTATIS & AFFECTUS: Cui tanquam proprium, idoneum, præcisumq; & præfinitum objectum,

**BONUM, MALVMVE ab INTELLECTV,
cognoscente sistitur:**

Tum ut sit, quod VOLUNTAS Affectusque,
Amplectatur,

Aversetur:

Tum, ut rationes, causæ, argumenta, invitamenta, ad operationem adhibendam, VOLUNTATI Affectuiq; offerantur.

Aliud igitur est, docere ita: ut Intellectus conquiescat, in Assensu, vel Dissensu:

Aliud; ut quod apprehendit Intellectus; quasi progrediens ulterius sistat diversis & distinctis à se facultatibus; Voluntati partem, & Affectui.

Convenientia equidem non est nulla; si Professio PIETATIS conferatur cum professione BIBLICA, Scopi respectu: prout supra ille utriq; professioni isti præfinitus est. At tamen non est obscura quoq; Differentia inter easdem: si quo modo atq; gradu, unum idemq; in SCOPO utriusq; constitutatur attendas.

Nempe

Nempe in BIBLICA Professione SCHOLASTICA, primò directè, VERA PERSPICUAq; TEXTUS SACRI INTELLECTIO spectatur: secundariò & consequenter attingitur in eadem, VITÆ CHRISTIANÆ INSTITUTIO ATq; EXERCITATIO.

At in PIETATIS Professione, primò directissimè, spectatur & attenditur VITA VERE CHRISTIANA, ipsaq; PIETATIS inflammatio atq; exercitatio: secundariò spectatur, seu potius ex præsuppositione assumitur ad eandem illud: quod Professio BIBLICA primò principaliterq; versat.

Sic in BIBLICA Professione singularis liber, parsq; certa ex Bibliis sacris excutitur; & ad PIETATEM, prout res fert, accommodatur.

At in PIETATIS Professione, præviâ, aut adhibitâ potiùs perpetuò curâ, ex libris sacris omnibus secernendum & seligendum venit id: quod PIETATEM & explicare dilucidissimè; & commendare atque imprimere potest nervosissimè.

Succedunt ferè res aliter: ut spectantur diversâ animi intentione; ut opera impenditur aliâ atque alia. Rarò, si secundariò, minusq; directè quid spectes, ita idem succedit: ac cū directam animi intentionem atq; contentionem adhibes: quippe ita diversa ac disparia media exoptantur; diversaque etiam sit mediiorum eorundem accuratio: ut aliud præ alio nobis magis directiusque proponimus, quod sectemur. Hinc diversa via initur; aut via quoque eadem decurritur diversimodè: ubi meta diversa atq; alia nobis præfigitur.

Quâ ipsâ quoque ratione æstimare facilè est: quàm prorsus recto præstabiliq; consilio fiat: ut munia distinctim curentur: in quibus animus aliò atque aliò referendus est; in quibus pro SCOPO aliud atq; aliud primò habendum est.

Quin

Quin ipsa quoq; Charismata Divini ac Sacrosancti Spiritus, diversa & distincta, imò disparia & inæqualia, conferuntur nobis à Deo & Domino nostro, eo præcipuè sine; ut, cum corpus Christi mysticum variis modis curari opus habeat, tantò rectius dexteriusq; singula administrentur: quæ ad corporis ejus emolumentum pertinent. *Quemadmodum enim, inquit Apostolus, in uno Rom. 12. v. corpore multa membra habemus; membra verò omnia non eundem 5. 6. habeat actum: Sic multi unum corpus sumus in CHRISTO; singulatim autem alii aliorum membra; sed habentes tamen dona juxta gratiam nobis datam, varia; sive PROPHETIAM juxta analogiam fidei; sive MINISTERIUM, in ministracione; sive QUI DOCET, in Doctrinâ; sive QUI EXHORTATUR in exhortacione.*

Ex quo Paulino quoq; monito, ipsa illa inter Professiones sæpe dictas Distinctio, approbari evidenter satis potest: si fortè nō tam de Distinctionis ejus VERITATE, quàm de ejusdem NECESSITATE aut UTILITATE ambigendum cuidam videatur. Sed de eo agetur postmodum loco alio.

Nunc cum dubiū minimè sit mihi, patere ex modò dictis posse, quæ sit Professionis Pietatis à cæteris Professionibus Theologicis Differentia vera ac genuina; ad alterum accedendum est: ut videatur quoq;

Quomodo PIETATIS PROFESSIO methodicè, nervosq; sit adornanda.

Quod ipsum, cum perspicere partem magnam queat, ex præmissâ MEDIORUM ad SCOPVUM Professionis ejus directorum delineatione: non requiri videtur præterea quicquam nunc aliud: quàm ut METHODICA, & ad PRAXIN apprimè accommodata, DOCTRINÆ PIETATIS DISTRIBUTIO SEVPARTITIO, per typum aliquem & Sciagraphiam, seu umbratilem delineationem subjungatur.

Quæ Methodicæ illi distributioni addenda, & quasi

quasi interjungenda erit perpetuò, singulorum DOCTRINÆ PIETATIS membrorum AXIOMATICA COMPREHENSIO, Axiomatumque ulterior & uberior, PERTRACTATIO PRACTICA seu PATHETICA: earum ratio & conformatio evidens satis esse potest ex iis; quæ antè jam præmissâ & explicata sunt.

Sed, dum METHODICAM DISTRIBUTIONEM nomino; hoc quoque obiter præmonendum puto; non tam spectari in Professione hac scrupulosam, exquisitamque Distributionem Doctrinæ PIETATIS; quàm sedulam fervidamque Doctrinæ ejus observationem, & studiosam atq; sollicitam officiorum PIETATIS executionem: ad quam si qualicumq; tandem methodo pertingamus & promoveamur, jam satis est. DISTRIBUTIO ergo DOCTRINÆ PIETATIS seu PRACTICAE ad PIETATEM INSTITUTIONIS, subsequente modo, institui commodè posse visa est.

PRACTICA PIETATIS INSTITUTIO *duobus membris absolvetur:*
Prius erit INTRODUCTIO Generalis ad verum veræ Pietatis studium:

Posterior; DEDUCTIO Particularis ad ea, quibus studium illud in nobis quasi consummatur.

INTRODUCTIO Generalis ad verum veræ Pietatis studium fiet per *Axiomata* de PIETATIS NATURE atque STUDIO *in genere.*

DEDUCTIO Particularis ad ea, quibus studium illud in nobis consummatur, in triplici potissimū tractatione occupabitur.

Prima erit; *De Obligatione nostri ad PIETATEM erga Deum:*

E

Alte-

Altera; *De Fine & Fructu PIETATIS*

Tertia; *De Officiis pietatis in specie.*

OBLIGATIO NOSTRI AD PIETATEM
ERGA DEUM patebit ex consideratione *Titu-
lorum praeipuarum*; quibus obligatio illa quasi ni-
titur.

TITULI istiusmodi sunt

Ex Parte Dei; Ejus ineffabilis

DIGNITAS

BENIGNITAS

VOLUNTAS

SEVERITAS &c.

Ex Parte Noſtri

NATURÆ NOSTRÆ CON-
DITIO. &c.

FINIS FRUCTVSQ; PIETATIS est

Ex Parte Dei

GLORIÆ DIVINAE AM-
PLIFICATIO:

Ex Parte Noſtri

BONORUM MAXIMORUM

ACCERSIO;

MALORUM SUMMORVM

AVERSIO.

*Que utraq; qualia, quantaq;
sint, speciali declaratione ex scri-
pturis sacris ostendetur.*

OFFICIA PIETATIS IN SPECIE evolventur.

Tum secundum *Distinctionem eorum inter sese*;

Tum secundum *Accommodationem ad varias Loco-
rum, Temporum, Casuumq; differentias.*

Quod *DISTINCTIONEM officiorum Pietatis inter
se attinet*, sunt officia ea

Tum

Tum *Preparatoria*;

Tum *Perfectoria*;

PRÆPARATORIA Pietatis Officia sunt, quibus animus
ad alia, eaq; intimiora Pietatis officia preparatur &
quasi exercetur.

Hujus generis competunt nobis,

Alia ex parte

NATURÆ, seu Rerum in Naturā aspe-
ctabilium; Ubi à Christo præceptum
το ἐμβλέσκειν καὶ καταμαρτυρεῖν Matth. 6. v.
26, 28. hoc est.

Tum CONTEMPLATIO

TŪ DOCTRINÆ OBSERVATIO.

Alia ex parte

SCRIPTURÆ ejusq; tum

SACRÆ, & DIVINÆ ubi
demanda nobis

RECEPTIO,

LECTIO,

SCRUTATIO,

MEDITATIO &c.

PROFANÆ & HUMANÆ

Ubi competit LIBRORUM

QUORVNDAM DE-
VITATIO;

ALIORVM ad VSVM
pium ACCOMMODA-
TIO.

Alia ex parte

NOSTRI IPSORUM: ubi

E 2

NO-

NOSTRI COGNITIO;
ANIMAE CVSTODITIO;
CARNIS CASTIGATIO
MEMBRORVM GVBER-
NATIO &c.

Alia ex parte

HOMINVM ALIORVM, per quos
ad Pietatem vel promoveri, vel ab ea-
dem avocari possumus : Vbi

PIORVM

Auscultatio

Conversatio

Consultatio:

IMPIORVM

Aversatio

Devitatio

Detrectatio. Pl. i.

PERFECTORIA *Pietatis Officia in quibus Pietas
intimius consistit. Suntq; & ista*

Tum Communia,

Tum Propria.

COMMVNIA *Pietatis profectiora seu intimiora of-
ficia, (quae videlicet omnibus competunt, quocunque
statu, gradu, sorte conditioneque sint,) dum quoq;
generum sunt:*

Alia respectu VOCATIONIS & FOEDE-
RATIONIS DIVINAE;

Alia respectu OBSIGNATIONIS DIVI-
NAE DIGNAEQVE & Gratæ PRO-
FESSIONIS.

Respectu VOCATIONIS FOEDERISQ; DI-
VINI, officia sunt

Tum

Tum *Fundamentalia, ut*
POENITENTIA;
FIDES:

Tum *Superstruenda, seu fructuum instar ex Pe-
nitentiâ & Fide (Matth. 3. v. 8.) proferen-
da: per qua SANCTIMONIA DEO
GRATA in nobis perficitur (2. Cor. 7. 1.)*
Hæc verò sunt

DEPOSITIO & DEVITA-
TIO PECCATORVM;
SVSCEPTIO & PERACTIO
BONORVM OPERVM.

PECCATORVM *Mutua seu fecunda est inter se
connexio, seu progeneratio & cognatio: ut ita depo-
nantur & evitentur facilius; si*

I. EVELLAS alia, ut RADICES: qualia
sunt

Veri Boni nempe

DEI PATRIS IGNORATIO;
CHRISTI MAGISTRI AVER-
SATIO;
SPIRITV S. ADVERSA RELV-
CTATIO.

Falsi Boni, nempe

MVNDI

Vana SVSPECTIO;
Vesana DILECTIO:
NOSTRI IPSORVM
Delira ADAMATIO;
Stulta ABLANDITIO:

Unde ulterius propullulas,

PRO-

PROXIMI

Præ nobis DESPECTIO;
Propter nos NEGLECTIO.

II. EXSCINDAS alia, ut STIRPES è radici-
bus istis enascentes. Quo loco veniunt, respectu
DEI, T

*Superstitio,
Idololatria,
Blasphemia,
Diffidentia,
Inobedientia &c.*

NOSTRI, quod attinet mundanum Bo-
num,

ESTIMATIONIS seu Eminentia,
SVPERBIA;

POSSESSIONIS seu Abundan-
tiæ,

AVARITIA;

DELECTATIONIS seu Appe-
tentia,

VOLVPTVOSITAS.

PROXIMI,

*Contemptio, Ira, Odium,
Malvolentia, Invidentia, &c.*

III. RESCINDAS alia ut GERMINA : qualia
sunt,

*Congregationum Piarum Desertio;
Lasciva Cantillatio;
Mentis Evagatio, Inanis occupatio,
Vaniloquium, Stultiloquium,
Cum alienis peccatus communicatio &c.*

PRÆ-

4. PRÆCAVEAS alia ut FRONDES exitium
ipsum propter afferentes : uti sunt,

*Temeraria in peccando de Dei misericordia
Presumptio ;*

*Veritatis contra S. S. manifestationem oppu-
gnatio & Calumniatio ;*

peccatorum contra conscientiam Perpetratio

Peccatorum perpetuatio & Irresipiscentia ;

*Spiritualis Boni in aliis dedignatio seu Inviden-
tia ;*

Apostasia seu Defectio à Veritate &c.

OPERVM BONORVM *arctissima quoq; est inter
se connexio & cognatio: ut facilius itidem suscipiantur
& perficiantur: si*

I. DEFIGANTVR alia in nobis, ut RA-
DICES : qualia sunt respectu

Veri Boni nempe Dei

PATRIS AGNITIO;

CHRISTI DILECTIO & IMI-
TATIO;

SPIRITVS S. OBSECVNDAN-
TIO:

Falsi & fucati Boni, nempe

MUNDI

DESPECTIO;

NEGLECTIO:

NOSTRI

Sancta EXOSIO;

Rigida EXAMINATIO:

Unde propullulat quoq; facilius

PRO.

PROXIMI æqua ut nostri ipsorum DI-
LECTIO.

2. EXCRESCANT seu educantur alia, ut
STIRPES è radicibus prædictis fœcundi-
ter surgentes. Quo loco veniunt, respectu
DEI,

*Humilitas,
Fiducia,
Spes,
Adoratio
Invocatio &c.*

NOSTRI, quod attinet mundanum
bonum

*Eminentia;
Humilitas,
Modestia;
Abundantia;
Frugalitas,
Parcimonia;
Appetentia;
Temperantia,
Castimonia.*

PROXIMI

*Mutua Observantia,
Tolerantia,
Benevolentia
Beneficentia
Condolentia
Ignoscentia &c.*

CUREN.

3. CURENTVR alia, ut GERMINA:
quo loco sunt,

*Solemnis divini cultus Frequentatio;
Deo gratæ cantillatio;
Salutaris animi & Corporis occupatio;
Directa ad adificationem conversatio, col-
locutio;*

Alienorum peccatorum impeditio, &c.

4. EXPANDANTUR alia, ut FRON-
DES, salutem ipsam mox quasi proferen-
tes: uti sunt

*Perpetua vigilantia;
Constans Perseverantia;
Bonorum omnium terrenorū desertio,
Sanguinis, vitæq; ipsius Profusio ob
Veritatem divinam asserendam,
Proximi salutem promovendam,
Innocentiam à peccatis conser-
vandam, Heb. 12. v. 4.*

Respectu OBSIGNATIONIS DIVINAE, DI-
GNAEque & GRATÆ PROFESSIONIS,
inter Pietatis Officia numeranda est,

BAPTISMI

Credula Susceptio; &

Sedula frequensq; suscepti Recordatio:

COENAE DOMINICAE

Digna Gratæq; concelebratio.

PROPRIA Pietatis Officia, (qua cuiq; certi status, gradus,
sortis, conditionisve respectu competunt) spectant sta-
tus, gradus, sortis &c. aut

ADEPTIONEM, quæ in alio atq; alio sta-
tus genere est per

F

Ordina-

*Ordinariam Vocationem,
Studiosam Acquisitionem,
Naturalem Consecutionem,
Extraordinariam seu Supernaturalem Modera-
tionem.*

In singulis modis istis certa erunt, quae
attendi debebunt, Pietatis Officia.

ADMINISTRATIONEM seu **DEFUNCTIO-**

NEM; ubi officia alia

Generalia multis statibus &c. communia:

Specialia certorum diversorumq;

STATVVM ut

Celibatus, Conjugii;

Maritorum, Uxorum;

Parentum Liberorum;

Susceptorum, Profiliorum;

Tutorum, Pupillorum;

Dominorum, Servorum;

Magistratum, Subditorum;

Civium, Militum;

Patronorum Clientum; &c.

CONDITIONIS & SORTIS, ut

Divitum, Pauperum;

Orphanorum, Viduorum; &c.

QUALITATVM, ut

Eruditorum, Idiotarum; &c.

ÆTATIS ac SEXVS, ut

Puerorum, Puellarum;

Juvenum, Virginum;

Virorum, Faeminarum &c.

Quod

Quod dehinc **ACCOMMODATIONEM** Offi-
ciorum Pietatis, ad *Locorum, Temporum, Casuumq;*
differentias attinet, alia monenda atque observan-
da erunt

Generatim, quæ Loci Temporisque ratio com-
muniter & absolutè spectatur in Pietatis of-
ficiis exercendis: alia

Speciatim, quæ spectantur & obveniunt *Loco-
rum, Temporumq;*

Tum **DISCRIMINA:** ut

Tempus

Diurnum, Nocturnum

Matutinum, Vespertinum,

Meridianum, &c.

Præt. Præt. Futur.

Hebdomada, Mensis, Annus;

Sabbathum, Festum,

Novi anni exordium

Dies Natalis &c.

Locus,

Domi, Foris, Privatim;

Publicè, Extra Patriam,

In Patriâ, &c.

In agro, Sylvâ, &c.

In ædificiis certis, Templis,

Scholis, Xenodochiis, Curiis

&c.

Tum **INCIDENTIA** varia, eaq; aut

ORDI-

ORDINARIA, ut

Suntio cibi, Potus;
Propositi cuiusdem conceptio
Operis laborisq; aggressio;
Muneris certi desunctio;
Ad somnum & Quietem Compositio;
Experrectio & Surrectio;
Exspaciatio;
Peregrinatio &c.

EXTRAORDINARIA, tum

PROSPERA, ut

Sanitas, Serenitas;
Focunda Tempestas;
Pax, Victoria;
Donatio, Promotio,
Annonæ Libertas &c.

ADVERSA, ut

AEgrotatio, Intempestuositas;
Sterilitas, Bellum,
Pestis, Persecutio,
Incendium, Exundatio,
Repulsa, Deceptio, Oppressio
&c.

Ad quæ tam multiplicia *Temporum Locorumque*
discrimina; ut & eorundem *incidentes casus variis*
os, si ostendatur quomodo accommodanda
sint debite *Pietatis officia*; jam res in expedito
erit; quæ *Methodica Doctrina Pietatis* deductio
spectatur.

Atque ex istâ qualicumque **DOCTRINÆ PIE-**
TATIS

TATIS distributione, præmissâque delineatione tra-
ctationis; quæ, ad singula ejusdem membra, videtur
perpetuò subjungēda; perspicuū esse posse puto, ac pla-
nū: quid de **PIETATIS PROFESSIONE**, peculiari ex-
emplo, **IN ILLUSTRISCHÖNAICHIANO** sancitâ, sit
sentiendum: quid expectandum. Equidem *rudimenta*
tantum sunt: quæ nunc promimus: & vix vestigia, pri-
mo hoc ingressu, suspenso quasi gradu, imprimimus.
Sed ex iis tamen non erit difficile animadvertere, lecto-
ri non prorsus oscitabundo: quæ porrò tractatio subse-
quutura sit: quò totus cursus dirigatur: dum ipsa sum-
ma capita in conspectu jamjam quasi constituta sunt.
Idcirco vix quicquam, æquè certò, mihi nunc pollice-
or, *ad felicem ejus Professionis & susceptionem & inceptio-*
nem; quàm bonorum quorumcunque vota: per quæ
impetraturum me spero, cœlitus, largissimè, gratiam
eam: quæ opus est ad negotium, tam sacrosanctum, re-
ctè dignèq; conficiendum.

Sacrosanctum voco negotium illud meritò: cum
tale esse jure omninoq; debeat, ob originem verè cœ-
lestem; ob usum verè divinum, verè salutarem, appri-
meq; apud vernantem æquè ac provecctam ætatem ne-
cessarium.

Si *Novitas*, quæ inesse *Professione* huic videri potest,
argumentum fortè cui quam præbet, super eâ ambigen-
di: aut suspicionem etiam ingerit animis: quasi esset
professio ista, aut necessaria minùs, aut supervacua, &
errore quodam introducta: novitatis appellatio peni-
tius antè est excutienda: quàm dubitatio vel suspicio,
adversus rem, manifestè dignissimam, obtineat. Nulla
enim, in toto hoc instituto, est *novitas*: quæ à *genuinâ an-*
tiquitate, Prophetica Apostolicaq; in docendâ Pietate Sim-
plici

plicitatis, sit recessura: quæ tritum Patribus plerisque, *Chrysostomo, Basilio, Augustino, Bernardo*, aliisque in docendo morem, non sit, quoad ejus fieri à nobis potest, reductura; atq; æmulatura. *Novitas* in instituto hoc *SCHONAICHIANO* nulla est: quæ institutionis, in Scholis saluberrimæ, cum primisque studiosæ juventuti necessariæ, non sit, & redargutura in seculo superiore neglectum; & compensatura, nostris quoq; temporibus; admodum notabilem, defectum.

Notum est palàm, quid juxtà cum errorum multivariorum, traditionumque humanarum inculcatione, actum jam olim sit in scholis. Disputatum est: & in questionibus infinitis, speculationibusque infructuosis, unice defudatum. Transformata adeò fuit Theologia in meras disceptationes, atque altercationes; in immensam opinionum diversarum farraginem.

De *Pietate exercenda & instillanda*, vix in cellulis quibusdam cogitatum est: publicè de illà rarò, parcè, languidè monitum: sensimq; eò deventum est: ut scholæ vix aliud nossent, quàm Pietatis nomen: exercitiis ejusdem destituerentur propè penitus.

Ipsa quidem PIETATIS PROFESSIO non ineptè, aut obscurè innuebatur in scholis, *Theologia Mystica, atque Affectiva* nomine: at ea tum publicè prorsum dormitabat. Quàm verò misera hæc fuit; & erronea negligentia; stupendaque eorum, qui coram mundo visi sunt sapientissimi, & eruditissimi, infatuatio! Animadversa tamen, jam tum quoque illo tempore fuit à quibusdam, exorbitatio illa, tam ambagiosa, tam exitiosa in salutis viâ: dumque publicâ professione corrigi ea nondum potuit, eò allaboratum est interim, privatis nonnullorum meditationibus: ut restitius ad Christum surrigerentur animi: & ad pietatem
infor,

informarentur compendiosius nervosiusque, quàm per disceptationes illas interminatas. Ita *Bonaventura, Albertus Magnus, Dionysius Carthusianus, Hugo de Sancto Victore*, à scholasticis disputationibus & rixis subripuere sese quandoque; & fructuosius quiddam meditari cœpere: Pietatemque adminiculati sunt libellis, perquam patheticis. Ita *Thomas Kempisus*, ita *Hieronymus Savanarola*, nescio an sese exercuerint olim magis in latebris, ac exuscitant quoque hodiè non paucos ad Pietatem: dum libelli eorundem in lucem sunt protracti è tenebris. Est *Kempisus* libellus, quem *de Perfecta Christiani imitatione, veròq; mundi contemptu* scripsit, paucis, ac nemini ferè hodiè non visus. Passim quoque obviæ sunt *Savanarola* meditationes, cum primis illæ, quas inter metuendos carceris horrores & imminentis supplicii angustias delineavit ad Psalm. 51. & 31. *verbis vivis, animatis sententiis, & spiritus fervore flagrantissimis.* Quò ante extremas angustias illas, aspirarit auctor idem, argumento possunt esse, cum scripta illius alia non pauca, Pietati potissimum sacra; tum quinque illi de Simplicitate Christianæ vitæ libelli: quibus compendiò agitur, quod ad vitam Christianam pertinet. Sed, præterquã quòd *disputationum scholasticarum* fervor, discentiù animos præoccuparet, temporibus illis; redderet que commonestionum, tam salutarium, aspernatores tumidos & insolentes; subtilitasque præ simplicitate omnibus ferè arrideret: adeò quoque tenebræ invaluerunt longè & latè: ut pia etiam, & devota illa pectora, nescierint emergere, ex erroribus non paucis: qui in ipsos libellos istos, minimè aliàs detestabiles, aut infrugiferos irrepsere: quamvis stipularum, fœni, straminisque instar, ab auro gemmisque, argento secerni à lectore pio facile quoque queant. Sub,

Subsequuto deinde, & viciniore nobis, nostro-
que hoc ipso seculo, quo errores, perniciosissimi quiq;
detecti satis sunt dilucidè; traditionibusque humanis
dica passim scripta est; rectissimè equidem id *in Scholis*
actum est, agiturque jam hodiè: ut errores refellerè,
maturè & accutate, ediscat juvenus: ut rerum divina-
rum notitiam acquirat, methodicâ declaratione dilu-
cidâ declaratione; prolixâ pertractatione: ut differat
eruditè, de fidei capitibus, articulisq;, quibusdâ minu-
tissimis: ut scripturas æstimet maximi, tractetque dili-
genter, dubiaque de quoquo versiculo, aut apice mo-
veri solita exquirat. Sed eadem juvenus illa, dum er-
roribus refellendis intendit animum curâ primâ & po-
tissimâ; nescio an suo pte tantum vicio, an docendi quo-
que modo, plerisque pertrito, sensim eò devenit: ut
magnam partem desudescat in disputationibus; potis-
simum adsuescat altercationibus; subtilitates rimetur;
simplicitatem aspernetur; in controversiam nihil non
pertrahat; rixandi occasionem undiquaque arripiat,
alios refutare satagat; emendare se, moresque suos
reformare omittat; despiciat alios superciliosè; sese i-
psam vix penitus unquam inspiciat; vitamque verè
Christianam, hoc est, piam, justam, sobriam, humilè,
pacificam, modestam languidè admodum agat, & in-
curiosè.

Quo quidem modo minus proficitur ad Salutem:
incautius consulitur animæ: Christianismusque, cum
doctrinâ repurgatiore, non incrementa sumit; sed de-
crementa experitur multò maxima, etiam non defici-
ente doctrinæ puritate & veritate.

Ergo, ad hæc quoque tempora, defectu aliquo
scholæ videntur laborare: ut curæ, operæq; haut teme-
rari

riæ sit, de eo rectè, commodèque supplendo, cogitare
atque allaborare.

Et excitavit quoque Deus, jam inde à primordiis,
repurgatæ & instauratæ quasi denuò, doctrinæ Evan-
gelicæ, ad nostra usque hæc tempora, piorum quorun-
dam virorum animos: quibus curæ nihil magis fuit;
quàm mederi ratione aliqua, tam languido Chriani-
smi successui.

Ita *Erasmus* non detexit tantum obliquè, seculo
nobis proximo tetram illam doctrinæ, morumque, in
Ecclesiâ, & scholis depravationem: sed & simul utram-
que corrigere, sedulo annisus est.

Spectavit hoc profectò & *paraphrasibus suis*, quas
in libros N. F. adornavit, perelegantibus, & libellis
non unis aliis, ad Pietatem suavi quodam ductu illici-
entibus. Quo loco meritò nominari potest, *Militis Chri-
stiani Enchiridion*: quod anno æræ Christianæ 1501.
in lucem primitus prodiit, ante ipsa apertæ reforma-
tionis initia. Quo loco reputanda quoque est, *Ratio seu
methodus, compendiò perveniendi ad veram Theologiam*:
quam Testamento novo initiò præfixit: postmodum
revidit sapius & perpolivit. Habenda eodem quoque
loco est *Paraclesis ejusdem, id est, adhortatio ad sanctissi-
mum ac saluberrimum Christianæ philosophiæ studium*: item
libellus de amabili Ecclesiæ concordia; de Concionandi ratione
opus, quattuor libris distinctum; de *contemptu mundi* Epi-
stola; de *sui abnegatione*: commentationesque id genus
aliæ. Quam aliàs, inter exercitia quoque puerilia, idè
inculcandæ Pietatis memor fuerit: non est ignotum nisi
prorsus imperito meditationum Erasmicarum.

Dum *Erasmus*, ex seculo modo transacto nomi-
navi: qui privatis studiis pietatem sibi proposuit exco-
lendam

lendam & promovendam: cum publicè negligeretur in scholis; & tantum, non suffocaretur prorsus disputationum infinitate, speculationum inanitate: neque obmittere innominatum *Ludovicum Vivem*: qui quàm de Pietate juvandâ, & in Scholas reducendâ fuerit itidem sollicitus, monumento plusquam uno testatum reliquit. Assentietur facilè mihi de auctore hoc: qui legit eam, quam pro Scholis scripsit, *ad Sapientiam introductionem*: assentietur faciliùs, qui legit, quas scripsit, *Excitationes animi in Deum*: nihil abnuet penitus: qui libros inspexerit accuratiùs; quos prudenter eleganterq; ille concinnavit *de causis artium corruptarum*, itemque *de tradendis disciplinis*. In istis enim non obscure aperit: quâ negligentia, quâ exorbitatione deliquerint illorû superiorumq; temporum scholæ. In his verò ita quoque Pietatis docendæ & instillandæ curam ante omnia in scholis gerendam esse docet & monet: ut professionem pietatis non designare tantum videatur: sed eam ipsam quoque quasi intimet Scholis, peculiari appellatione quadam. Quid enim potius, quàm Pietatis professionem denotari censebimus: cum disciplinarum latifundia per classes certas distributurus, de Theologia, hæc subjungit verba. *In rebus divinis & sacris vel consideramus, quantum licet mortali, sanctam illam naturam; vel ea, qua nos ad illam adducunt: nempe ejus præcepta & vitam. Qui circa priora versatur Theologus; qui circa secunda Theonomus appelletur. Quocirca, si Ludovici Vivis iudicium sequi libeat; posset ipsa quoque Pietatis professio, Theonomias appellari professio: in quâ exuscitationibus & affectus commotione opus est; ut in Theologia, distinctim ita dictâ, demonstrationibus, & intellectus instructione.*

Con-

Contulere deinde operam suam, ad eandem pietatis implantationem, perquam multi numerò: nostròque hoc tempore cumprimis, certatum quasi est, devotionis exuscitandæ, pietatis instillandæ studio.

Incubere in hoc *Pontificii*: egere idem, non seigniter quoque, *Evangelici*. Posset, ex parte utraq; catalogus institui longus & prolixus. Sed placet, eum differre in tempus aliud. Satis est, eos vice hac nominare, præter antè indicatos, quos ILLUSTRIS GYMNASI PATRONUS, expressit in tabulis fundatoriis. Dum n. professioni illi scopum præfinit; genusq; docendi innuit: auctores nonnullos, quorum exemplo agi possit; eorundemq; scripta, è quibus docendi forma perspicui faciliùs queat; appellat: atq; tum *meditationibus & soliloquiis Augustini, Bernardi; sermonibus Tauleri*, accenset quoq; *Gerhardi meditationes*, libellos plerosq; Theologicos *Casmanni*: libello quoq; *Thomo de Kempis, de Christi imitatione*, quem cum prærogativæ indicio, denotat; *Perkinsium* insuper addit, de *conscientia casibus* piè eruditeq; scribentem.

Adjungo nunc ego istis *Arnidium, & Kegelum*: quorum uterq; eodem collimat industriè; alter Christianisini sinceri declaratione; hominisq; interioris informatione; alter meditationibus solidis, piis, Christianis, vereq; spiritualibus.

Hos omnes, si novum quid agere, quispiam censuit hæctenus: facilè agnoscere quoq; idem potuit, ita novum agi ab iis nihil: ut antiquissimum potissimum agere dicendi sint; & id ipsum: quod ad salutem nostram, æternamq; beatitatem nobis maximè est necessarium.

Quin ergo, dum publicâ curâ, atq; professione peculiari, fieri vult ILLUSTRIS SCHÖNAICHIUS, in

Gymnasio suo idem, quod privatâ jam olim curâ laudabiliter & hodiè quoq; commendabiliter, magnoque cum fructu, imò quovis tempore salutariter, actitatum est; nullum ex *novitate* argumentum cudi poterit: ob quòd de instituto illo aliter sit sentiendum, quàm honorificè: aliter sit judicandum, quàm cum approbatione: aliter sit pronunciandum, quàm cum commendatione atq; collaudatione: Quippe, è dictis plus satis est manifestum: novitate eâ, quæ in instituto hoc potest animadverti, accusari jure posse seculorum superiorum neglectum; & compensari opportunè temporum nostrorum in Pietate sollicitius excolendâ, maturiusq; implantandâ, defectum.

Non improbantur studia quibus hodiè exercetur aliâs juventis. Succurritur defectui, ex nimia studiorum illorum contentione propullulanti. Debebat illud fieri; sed hoc non intermitti. Agi illud debebat gnaviter & diligenter; sed nec unice; nec ut palmarium: at & hoc debebat non attingi ita negligenter, ita parcè, rarò, serò, & ut negotium secundarium aliquod. Errari etiam in bonæ rei tractatione potest, non satis observato tractationis modo & ordine.

Si gemina res quepiam obveniat; sitq; bona utraq; ; sed earum altera potioris gradus sit, magisq; necessaria tibi; altera gradus deterioris, minusq; necessaria tibi: fueris profectò in Temet ipsum tute iniquus: si majorem in hac, quàm in illâ; si priorem in inferiore istâ, quàm superiore alterâ curam locaris & operam.

Si ad urbem celebrem aliquam & elegantem propositum sit ire: bonum est equidem, loca, quæ interjecto itinere invisere licet, adire quoq; & perlustrare; etiam in illis fortè subsistere paululum: At potius illud est, rectæ quoq; viæ semper meminisse, eamq; perpetuò insistere, in

in eadem progredi indefinenter: si præcipuè angustum sit temporis spacium: intra quod statutum sit totum iter illud emetiri. Igitur nunquam illud ita agendum: ut circa alterum vel periclitemur; vel successu sperato frustremur, commoratione & evagatione aliquâ. Par est ratio in adoundâ cœlesti Hierosolymâ, illâ Beatorum patriâ desideratissimâ: ad quam omnes contendere decet, gressu minimùm declinato.

Bonum est equidem & utile, imò necessarium quoq; de iis, quæ in confinio viæ, ad eam ducentis, obviam sepe fiunt, dispicere: sed optimum tamen est, summeque necessarium, à viâ ipsâ nunquam declinare, à recto tramite, nunquam avocari, gressuq; pergere nunquam interrupto, nusquam cessante. Igitur illud ita agendum: ut ne unquam non sit potior cura, viæ directæ insistendæ, decurrendæ: cum præsertim tempus, quo iter hoc absolvi à nobis vult Deus, per breve sit: nec constet, hodiè an cras, jam nunc, an momento interlabente nos sit ex mundo hoc avocaturus. Quòd si tum in viâ nos reperit, strenuè pergentes & gnaviter: O Beatos nos! etiam si eruditionis, scientiæq; modicæ fuerimus. Trâsvchuntur n. compendio quodam ad felicitatem, qui in viâ sic deprehenduntur, & ex eâ subripiuntur industrii & properantes. *Beatus servus ille* inquit Sospitator noster, Christus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Quòd si contra deprehenditur de viâ securus, ab eadem avios, in decurrendo desides: O nos penitus & æternùm miseros! si vel fastigia summa honorum, eruditionis, gloriæ, felicitatisque mundanæ attigerimus.

Salutaris igitur *Novitas* ea censenda est; per quâ quaeritur id potissimum: ut adventus studiosa mature doceatur & subeat, a dibeatitate veram illam & cœlestem

rectà mox, strenueq; contendere: caveturq; sedulo quò minus avocari in vià, minus abripi in avia, aut in progrediendo queat irretiri.

Atq; utut videatur profefsionis hujus institutum in Scholis novum: ipsum ejus argumentum novū non est. Quod cur prolixius deducere? Illud Tertulliani satis erit hoc loco: *Neq; veritas desiderat vetustatem: neq; mendacium devitat novellitatem.* Est enim res ea veritatis, imò necessitatis evidentioris: quàm ut operosâ expositione ullâ indigeat amplius. Est res à mendacio omni alienior ab errore remotior: quàm ut novitatis nomen, suspicionis ullius sinistra capax esse in eâ queat.

Te igitur nunc compello, **JUVENTUS STUDIO-SA: TE** quodcunq; tandem studij genus tibi tuo tuorumve voto, destinâris, Universam compello: Neminem excipio prorsus: omnium aures patere mihi cupio: cum patere omnium animos Profefsioni meæ velit *Illustri Patronus*, macarites *Fundator Gymnasii hujus* meritissimus: nec velit hoc minus *Superstes Conservator ejusdem* gratiosissimus. Quid Patronū, Fundatorem, & curatorem id velle dico? Creator idē Tuus vult: redemptor idem Tuus vult: sanctificator idem Tuus vult: Pater ille coelestis potentissimus: Filius ille ejusdem Patris unigenitus, frater Tuus, Tui amantissimus: Spiritus ille utriusq; sanctissimus. Hos habes ad Pietatem invitatores, hos habes compulsores: ut ad Pietatem informaturo non patulas tantum præbere aures debeas; sed & mentem obsequiosam. Non eximit à Pietatis debito quemquam Nobilitas; non generis dignitas; non ætas aut vernantior, aut protractior; non propositum aliquod, studiumve artis, facultatisve ullius, Medicæ, Juridicæ, Philosophicæ, aliûsve; non profectus aut perit

tia aliqua; non conditio aliqua lautior; non fors honoratior. Absolvit à Pietatis debito nihil quenquam: cum Deo Opt. Max. præferri nihil queat: cui fideli Pietate, piaq; fidelitate adhærendū est mox à teneris annis perpetuò: si successu verè prospero, curas & studia nostra velimus fortunari, per universam vitam nostram.

Quod si Parentes Tuos audis: si cognatos, fautoresq; adhibes in consilium, de studiis rectè ordiendis, pertexendisq;: frontispicium primumq; limen Pietati assignabitur: medium à Pietate alienum non esse jubebitur: extremus quoque limes Pietati destinabitur: votis & suffragiis omnium istorum: quodcunq; tandem studiorum genus præfiniatur Tibi & suadeatur. Habebunt ex Profefsione hac peculiarem quidem Usū suum, Theologiæ studiosi: quem in praxi concionatoriâ experientur, in commonefaciendo, in exhortando, in dehortando: At Usus quoq; communis semper erit omnium: ut Pietas, auditorum corda subeat: ut Pietatis exercitia frequententur: animus ad Pietatem desens infimuletur; languidus erigatur. Age ergo, quisquis gaudes Studiosi titulo, satage emolumentorum tuorum jussusq; tantos *Dei Opt. Max.* ejusq; promulgatores publicos, *Illustri Patroni* voluntatem, *Parentum*, cognatorum, *Favorumq;* Tuorum, monita, & consilia ne habe contemtim.

Abfit omnis universim negligentia: dum nulla ulli usquam debet esse à Pietate licentia. Pudeat nunc se jungi à studio: à cujus præmio secludi tandem, non posset non æternum pænitere.

Ne pigeat informari & suscitari, annis florentibus, ad id, quod gaudio erit, perpetuò amplexatum esse, in marcidâ senectute. Ubi æqua omnium est obligatio: ibidem æqua sit quoque omnium exercitatio. Oria tibi

ne sumas : ubi vides esse primum palmariumque totius
vitæ negotium. Ne forte ulla ab eo Te avocari patiaris :
de quo post mortem rationem reddere cogêris, Christo
judici.

Sanè perfacile est, Christianæ Pietatis rudimenta,
condiscere, eadem memoriâ tenere. At facile non est
æquè, eadem vitâ ipsâ exercere, in moribus nihil violare :
dum profectò satis non est eâ memoriâ tenere, aut reci-
tare memoriter posse. Ad cognitionem pervenitur ci-
tò; ad memoriâ facilè: non difficilis quoque ad eò est
recitatio. At operatio ipsa laboriosior est, & difficili-
or, quàm ut sola memoria ad eam nos pertrahat. Affe-
ctuum moderatio, totiusque animi & corporis ad Dei
voluntatem conformatio, operosior est: quàm ut sola
notitia & recitatio ad eam nos perducatur; affectu nescio
quò potiùs, quàm ad divina propensos. Scilicet hîc o-
pus est, devotione ardenti; commonefactione instan-
ti; instigatione vehementi; exuscitatione frequenti;
examinatione graviter percellenti; pollicitatione
suaviter allicienti. Langvida est, & rara apud eos Pie-
tatis exercitatio; apud quos assidua est & quotidiana
rerum divinarum tractatio: hoc est apud ipsos Theolo-
giæ studiosos & Theologos. Quàm non langveret ea-
dem exercitatio illa apud eos: qui humanis meditatio-
nibus mancipant sese tantùm non totos: qui negotiis
implicantur iis & intricantur: in quibus frequens obve-
nit à pietate avocatio: nò infrequês intervenit in Pietat-
tis progressu impeditio: dū hinc fit occasio temulentie:
inde insolentia: hinc præbetur materia ambitioni; inde
obrectationi: hinc offeruntur illecebres voluptatum; il-
linc odiorū: hinc porrigitur ansa iracundie; illinc sevi-
tie: deniq; undiquaque obediuntur irritamenta malorū.
Quare

Quare, *juvenes fratresq; in Christo dilectissimi* ne su-
pervacaneum vobis putetur aut leve, ad Pietatem, di-
tîm exuscitari. Quotidiè suspiria pia, religiosa, conci-
pere animo, agitare corde, ne putetis à vobis alienum.
Maturè informari ad praxin pietatis, assiduè ad eandem
inflammari atq; exerceri, à tot, tamquam variis devia-
tionibus revocari, adversus seductiones præmuniri,
à præcipitiis retrahi, ita universis vobis & singulis sit
charum, gratum: ut charæ vobis animæ sunt vestre: ut
grata vobis ipsa est Felicitas. Nec enim illas servabitis:
si pietatem à vobis negligentia vestra alienaveritis: nec
istam unquam verè asequemini: nisi Pietatem studio-
sè colueritis: qualescunq; tandem studiis & diligentia
vestra evaseritis. Quoniam, Si curæ est, cordiq; vobis, de-
sudare in illis: quæ ad vitæ emolumenta hujus faciunt:
per quæ gloriam speratis & commoda, in seculo hoc:
illud ante omnia curæ vobis quoq; sit, & cordi: quod
ad omnia utile est, habetq; promissionem vitæ, hujus
pariter, & futuræ; nempe **P I E T A S**; Illud vobis quoq;
curæ sit cordiq;: cujus studio & exercitio pertinetis ad
gloriam ad honorem inviolabilem, ad immortalita-
tem & incorruptibilitatem ipsam.

O largire Cœlestis Pater, inaudiatur vox hæc mea,
Tuæ voluntatis internuncia: o da penetret vox
hæc mea ad juventutis corda: Quam unâ mecū,
Tu Pater Maxime, Tu frater Optime J. C. duc
Spiritu Tuo, viâ rectâ: viâ illâ Sincerae Pietatis:
quæ est via unica & certissima perpetuæ Felici-
tatis.

H

Ipsa

Ipsa SCHONAICHIANÆ
FUNDATIONIS VERBA, QUI-
BUS PIETATIS PROFESSIO SANCITUR,

non abs re fuerit hoc loco subnectere.

Ea igitur habent in hunc
modum.



So viel den Professorem Pie-
tatis belanget / da ist meine
meinung nicht / das derselbe
die Jenige 4 stunden / welche
er zu seinen *Publicis lectio-
nibus* die Woche über hal-
ten vnd verrichten soll / der

studirenden Jugend *ex sacris Bibliis* was inter-
pretiren, oder die *capita Doctrinae Christiana*,
nach dem gemeinen modo, der sonsten in Schu-
len üblich vnd breuchlich / *proponiren*, oder dero-
gleichen was *commentiren* solle / Sondern es soll
derselb einig vnd allein der studirenden Ju-
gend vnterricht vnd anleitung geben / wie sie in
Ihrem Christenthumb sich verhalten / ein recht
Gottseeliges heiliges leben führen / vnd die gan-
ze *Theologiam* vnd alles / was im Alten vnd Ne-
wen Testament zum Christenthumb gehörig /
ad realem praxin vnd würcklicher übung *in omni
vita genere* bringen möge.

Wie

Wie dem zu solchen gerichtet seind die *medi-
tationes* & *soliloquia Augustini*, *Bernhardi*, *ser-
mones Tauleri*, *meditationes Gerhardi*, plerig *li-
bri Theologici Casmanni*, vnd sonderlich des Tho-
ma de Kempis büchlein *de Imitatione Christi*, I-
tem *de Casibus conscientia Perkins* I &c.

Doch soll dem Professori *Pietatis* hierdurch
nicht benommen sein / auß dem Alten oder Neuen
Testament ein Buch oder *Caput* oder auch ein ge-
wisses *dictum*, nach gelegenheit der zeit vnd zu-
hörer zu nehmen / vnd seine *Praxin* darinnen zu
füdiren / jedoch ohne einige *disputation* oder weit-
leuftige *commentation*.

Denn wenn die Jungen *Studioſi Theologia*
baldt anfanges nur auff hohe fragen / tieffe re-
den / scharffe *disputationes* vnd andere *subtile* ge-
zäncke verleitet / darinnen vnterwiesen / vnd da-
rauff angehalten / vnd nicht zugleich mit vnd
zwar zu forderst *ad pietatem* gefuhrt vnd Ihnen
gezeiget wird / wie dieses für ienem notwendiger
vnd nützlicher / so hengeet ihnen dasselbe aus ein-
gebildeter geschickligkeit vnd hohem verstande
nachmals lange an / werden vnrubige vnd zänck-
sichtige Leute / die folgendes vbel oder langsam zu
einem demütigen niedrigem Geiste vnd Gottsee-
ligem eingezogenem stillen Leben vnd wandel
zubrin

zubringen seind. Welches was es bis anhero der Evangelischen Kirchen für schaden vnd nachtheil gebracht / auch wie hoch schädlich solches derselben sey / giebt die tägliche erfahrung zur genüge zuerkennen.

Darumb so ordene vnd wil ich das die *Profession*, für allen andern in acht genommen / darzu ein Gottseeliger frommer / ein gezogener / stiller vnd nicht zänckischer Man für genommen vnd bestellet / solche *profession* auch für vnd für in esse erhalten werden solle.

Emendatiùs legenda.

B. 1. fac. a l. 14. ratione. f. b. l. 10. B. 10. 3. f. a. l. 24. excutiatur, & B. 4. f. a. l. 30. addatur OPERUM. D. 3. f. b. l. 10. conquiescat D. 4. f. b. l. 8. habent. E. 2. f. b. l. 22. Perfectiora. F. 4. f. a. l. penul. addatur post gemmug, & Ibid. f. b. l. 7. delineatione. G. 2. f. a. l. 17. Thom 4.



XXVI

ὉΡΘΟΤΟΜΙΑ ΚΑΙ ἘΤΤΑΞΙΑ
τῆς ὑγιανέσης καὶ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίας,

H. E.

DE THEOLOGIÆ
SACROSANCTÆ DISTRI-
BUTIONE AC PARTITIONE
RECTA AC ORDINATA;

ut & de

Locorum communium Theologico-
rum accuratâ tractatione,

Disquisitio:

de qua

Ἐν ᾧ Θεῷ

Sub διπολογισμῷ

GEORGI VECHNERI,

SS. Theol. D. & Professoris in

Illustri Bethanéo

Publicè disceptatur,

RESPONDENTE

JACOBO Birekholz

Lubenâ Lusat.

Ad xvii. Martii,

BETHANIÆ

TTPIS DÖRFFERIANIS.

ANNO M. DG. XIIX.